ܐܠܗܢ ܐܠܗܐ ⁘

RENATI de CARTES PRIMUM COGNITUM

PUBLICA DISPUTATIONE

Excussum

&

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE SCHURZFLEISCH,

EXHIBITUM

à

RESPONDENTE

JOH-MICHAELE HAMMERO,

Römhilda-Franco, Phil. & SS. Th. Stud.

Ad diem V. Martii, M. DC. LXIV.

WITTENBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

11
13
Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

PROOEMIUM.

QVum id negotii nobis datum eſſe credimus, ut principii Carteſiam: dubito, cogito: ergò ſum: vanitatem juxtà & falſitatem penè diſcutiamus ſolicitiùs; ipſa, ut ajunt, cornua diſputationis Carteſianæ commovenda eſſe, remq; paulò altius repetendam ducimus, ut nec habeat, ubi tergiverſetur de Cartes, nec pigeat nos navatæ operæ. Conabimur ergò ſi qvicqvam poſſumus eruditorum expectatione dignum, inaudita ſi Diis placet, mentis Carteſianæ cogitata ac placita enunciare, & pro ingenii tenuitate illa examinanda in medium proferre, ut judicatu non ſit difficile, qvanta à ſententiis Cartes Philoſophiæ immineant pericula.

ricula.

ricula. Verbo id melius, qvàm Scripturâ effe-ctum dare in proclivi eſſet: ut tamen hic ne aliqvid deeſſe videatur, pro communi philoſo-phiæ ſalute nos muniri & armari convenit, qvod ſilentio pertinaciam Carteſiri confirma-tum haud ex vanô auguremur. Tectiùs e-nim ſerpit hoc Carteſianum virus; Belgium & Galliam non parum infecit, ni maturè obſte-mus, nos qvoq; infecturum. Ut ergò nobis tutioribus eſſe liceat, feliciusq; ad effectum con-ſiliorum noſtrorum perveniamus, non diſſimu-labimus errata Cartes, ſed ipſam qvaſi cauſæ arcem invaſuri, conficiemus, ut primore adſpe-ctu periculoſas Carteſ ſententias, velut in ideâ, ſi dicere ita liceat, ponderandas obferamus, vi-resqve noſtras utcunqve oſtendamus.

Breviter ſtrictimq; autem vitia aſſert: Carteſ. ſic habe.

CATA-

CATALOGUS ψευδῶν CARTES, illuſtrationem Sent. illius repræſentans.

§. I. (α)

TOtum hoc complexum, dubito: cogito; ergò ſum: Carteſ. & aſſeclis primum cognitum audire & punctum Archimedæum omnium demonſtrationum eſſe, repete ex I. & II. &c. Medit. & p. 143. Adde Comment. Benedict. de Spinoza princip. phil. p. 1. pag. 4. &c. (β) Circa Sententiam Carteſ notandum, ſe dictum principium nolle pro propoſitione Syllogiſticâ vendi tari, ſed pro ſimplici enunciatione, cùm aliàs veritatem ſuam ab univerſalibus præmisſis eſſet habiturum: Conf. Spinoz. Carteſ. hyperaſpiſtes cit. loc. (γ) advertendum voce cogitandi, intelligere Cartes omnes modos cogitandi, uti ipſe vocat; Atqvi ejuscemodi ſunt dubitare, intelligere, affirmare, negare, velle, nolle, imaginari & ſentire. Cart. med. 2. p.m. 11. ut proinde Cl. Voët. non ſatis vim ingenii Carteſ. aſſecutus videatur, qvando cap. 8. prim. ph. ref. actum voluntatis, qvippe antecedentem qvandoqve actum intellectus, fundamentum probandi ſuppeditare ait, qvod aliqvando posſimus velle, ubi non cogitemus. Cùm tamen Cartes latitudini cogitandi includat, etiam velle, adeoqve hic ex mente Carteſi non ſit ſtrictè urgenda oppoſitio. (δ) Hinc cùm DEI exiſtentiam probare ſatagit, antè dubitandum etiam aſſerit, qvàm certi aliqvid de ea enuncietur. Qvapropter Deum eſſe demonſtraturus, antea ſupponit in conceptu Deum qvid fictitium eſſe, & ſe fato, ſeu caſu, ſeu continuatâ rerum ſerie, ſeu qvovis aliò modò ad id, qvod eſt, perveniſſe, p. 7. Med. 1. ſic & plusqvàm impiè I. Med.

Med. p. 5. ſupponit, non optimum DEUM fontem veritatis, ſed genium aliqvem malignum, eundemqve ſummè potentem. (ε) Concedit Cartes, nos de nullâ re, preter noſtram exiſtentiam poſſe eſſe certos. Conf. Spinoz. pag. 8. ipſumqve Cartes paſſim. (ζ) Ne Carteſii dubitatio cum Scepticorum atqve veterum Academicorum (de qvibus Seneca Epiſt. 88. legatur) dubitationibus confundatur, non immeritò proteſtatur, ſibi alium, qvam Scepticis, præſtitutum eſſe ſcopum: hi qvippe nullum ſibi alium præfigebant finem, qvàm dubitare; Cartes autem ita dubitare vult, ut aliqvandò non dubitet, & duce dubitatione animum ab omnibus præjudiciis liberet. Qvamvis nec omnibus Academicis, puta verè Platonicis & γνησίοις hæc perpetuæ dubitationis dica ſcribenda ſit, ſed nonnullis ſolùm Sophiſtis & Philoſ. Platonicæ depravatoribus.

Elenchus ψευδοπρωταιτίȣ Cart.

§. 2. Hæc ſunt, qvæ obeliſcum, non calculum merentur. Nos ex iis ea inprimis excerpere conſtituimus, qvæ pſeudo principio Carteſiano adſtruendo militare videntur. Aggreſſuris itaqve refutationem primo cogniti Carteſ. in anteceſſum notandum, nos hic diſpicere non de principiis eſſendi, qvæ & ſubjecti vocant, qvalia in Phyſicis ſunt materia & forma reſpectu corporis; Tale item in Mathematica ἐφαρμώσει, ſolò qvippe intellectu dijudicanda eſt punctum, (ſcilicet non phyſicum, ut eſt creta pictum, ſed) νοητὸν & intelligibile ſolùm, ſine qvo nulla magnitudinis γένεσις fit, & ipſum tamen non eſt magnitudo. Qvà in re conferatur *celebratiſſ. Mathematicorum illud par, Excell. Dn. Prof. Nottnagel. Inſt. Math. Tract. Geom.*

Geom. aph. 10. 15. ſeq. Et Pl. Rev. atq; Excell. Dn. D. Strauch in Doctrina Magnitud. aph. 26. ſeq. uterqve Præceptor & Promotor multâ animi pietate proſeqvendus. Tale in Opticis *eſt linea fiduciæ*, die Augen Linie / qvæ ad rectam collineationem, in metam ductæ magnitudinis eſt comparata: Sed hic diſpicere noſtrum eſt de *principio cognitionis* (cognoſcendi) ſeu ſcientiæ, qvale in Metaphyſicis ſolùm reperitur, niſi per *principia eſſendi* intelligantur qvævis non-cauſantes rationes, in modô concipiendi aliqvid ſe prius poſteriusvê inferentes, *ut accuratè & pariter nervosè monet Excell. & celeb. Dn. Prof. Trentſchius, h. t. Ph. Fac. Decan. Spectab. Præcept. & Patron. de nobis egregiè meritus, Colleg. Metaph. Exercit. IX. Theor. III. ſeq.* Porrò autem principia cognitionis ſunt duplicia, vel *incomplexa* vel *complexa*, *Illa* ſunt termini & notiones ſimplices, ex qvibus formantur propoſitiones & demonſtrationes, uti ſunt in Metaphyſicis affectiones, qvæ ſunt rationes generaliſſimè Ens denominantes, inferentes alios conceptus de Ente demonſtrabiles. *Hæc ſunt* rationes complexæ per ſe notæ & indemonſtrabiles, unde pendent demonſtrationes inferiorum propoſitionum & ratiocinationum. Sic in μαθήσει principiorum nomine, veniunt axiomata, hypotheſes ſive definitiones, αἰτήματα ſive poſtulata, qvæ ſunt principia μετρητά ſive ἀριθμητά, unde pendent demonſtrationes de qvantitate continua aut diſcr. Cujusmodi *principium cognoſcendi complexum Metaph.* Entis in ſtatu indifferentiæ ſumti atqve à determinatisſimis qvidditatibus præciſi eſt illud: imposſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe, ex qvô demum deducitur hoc: qvodlibet eſt aut non eſt; qvicqvid diverſum à nobis ſentiat Cartes, qvi aliud prius certiusqve principium nobis obtrudere molitur. (β) Attendendum, qvantum ad præcognitionem

porrò

porrò terminorum attinet; *dubitationem eſſe duplicem, vel utilem ac neceſſariam*, qvæ eſt de iis, qvorum communiſſima principia inſita primò proximè & immediatè non habemus, ubi non juvamur à principiis intelligentiæ & ſyntereſeos, ſed animum qvaſi μετέωρον & ſuſpenſum tenemus cum prohibitione aſſenſus, qvod multa adeò remotè à fonte primorum, tum practicorum fluant, ut in iis ad applicationem conferendis hæſitet ac in utramqve partem inclinet intellectus. Sic qvis ignorat certiſſima Matheſeos eſſe principia? *Tetragoniſmus* tamen ſeu qvadratura circuli tam incerta eſt, ut vix incertius qvid eſſe posſit. Et licet qvàm proximè & ὡς ἔγγιστα qvadratura ſit posſibilis, vix tamen exactè erit ſperanda proportio. Qvam dubitationem non cupimus ſublatam, cùm hæc ἀπορία ſit ἀρχὴ πρὸς εὐπορίαν: *vel inutilem ac haud neceſſariam imò temerariam, commentitiam adde & impiam*, qvalis eſt *Carteſiana*, qvæ dubitat de indubitabilibus, aſſenſumqve cohibet circa principia innata, qvæ tamen velut communisſima & certisſima, certitudine ac perſpicuitate ſuâ cæterorum omnium principia eſſe debent.

§. 3. Haud negligenter tenendum eſt, Carteſi dubitationem, qvam extendit etiam ad Deum & principia naturâ nota, non eſſe accipiendam de intellectûs practici dubitatione, ſed *de ſimplici, nuda & theoricâ aſſenſus ad tempus prohibitione*, qvam voce ſuppoſitionis à Mathem. hauſta circumſcribit; Sic ait ſe ſupponere non Optimum Deum, h. e. ſolùm ſuppoſitivè de DEI exiſtentiâ dubitare, & ratione actus mentis theorici ſolùm eſſentiam DEI ab exiſtentiâ ejus præſcindere. An id tamen citrà falſi ac atheiſmi crimen fieri posſit, jam jam diſpiciemus.

§. 4. His præſuppoſitis, qvæ ad tradendam mentis Carteſ. diluciditatem facere videntur, propius Cartes aggre-

gredimur, ejusq; principium, ratione diſtinctorum membrorum diſtinctim, qvantum charta feret, expendere & convellere apud animum ſtatuimus. I. Qvod attinet ἀπορίαν ſeu dubitationem, eam ex cenſu principii ſic eliminamus, qvia non omnia Entia ſuppoſitive ſunt dubitabilia, ut ſunt immediatæ theoricæ veritates, qvarum prædicata absqve ullò mediò denominant ſubjectum, qvarumqve cauſa, cur ſint ſcilicet, asſignari nulla poteſt, ut Deum eſſe totum eſſe majus ſuâ parte, &c. qvæ immediatè apprehenduntur, & ἀναποδείκτως dijudicantur citra omnis demonſtrationis medium, ſive ſit apodicticum ſeu neceſſarium, ſive topicum I. probabile, uti qvidem eſt in opinione. Neqve hic ſuccenturiatur teſtimonium, ut medium demonſtrandi; qvod uti ex ſe in artificiale & aſſumtæ ſolùm fidei eſt, ita nec humanum, nec divinum, ratio evidens demonſtrandi eſſe poteſt; Adeò ſcilicet immediatè & ſine interceſſu medii demonſtrantis habitus intelligentiæ hæc ingenita attingit principia, nudaqve notitia terminorum & ab illis in intellectum redundantibus ſpeciebus intelligibilibus contentus, citra omnem artem & induſtriam, citraqve omnem diſcurſum ad dictis principiis aſſentiendum determinatur. Idem de principiis militat practicis, qvæ non didicimus accepimus legimus, verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hauſimus expresſimus, ad qvæ non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, qvorum lex in pectore noſtrô non ſcripta, ſed nata eſt, uti non minus eleganter, qvàm pro more ſuo graviter hoc Tullius pro Milone exeqvitur. Qvæ æternæ legis ἀποσκιασμάτια menti noſtræ impreſſa Demoſthenes vocat εὑρήματα καὶ δῶρα θεῦ. Sophocl. vocat illa ἄγραπτα καὶ ἀσφαλῆ θεῦ νόμιμα Ariſtot. δίκαια ἔμψυχα, qvippe à qvibus omnis lex ſcripta vim & virtutem ſuam mutuari cogitur. Vix ceras ſuffecturas

porrò terminorum attinet; *dubitationem eſſe duplicem, vel utilem ac neceſſariam*, qvæ eſt de iis, qvorum communiſſima principia inſita primò proximè & immediatè non habemus, ubi non juvamur à principiis intelligentiæ & ſyntereſeos, ſed animum qvaſi μετέωρον & ſuſpenſum tenemus cum prohibitione aſſenſus, qvod multa adeò remotè à fonte primorum, tum practicorum fluant, ut in iis ad applicationem conferendis hæſitet ac in utramqve partem inclinet intellectus. Sic qvis ignorat certiſſima Matheſeos eſſe principia? *Tetragoniſmus* tamen ſeu qvadratura circuli tam incerta eſt, ut vix incertius qvid eſſe poſſit. Et licet qvàm proximè & ὡς ἔγγιστα qvadratura ſit poſſibilis, vix tamen exactè erit ſperanda proportio. Qvam dubitationem non cupimus ſublatam, cùm hæc ἀπορία ſit ἀρχὴ πρὸς εὐπορίαν: *vel inutilem ac haud neceſſariam imò temerariam, commentitiam adde & impiam*, qvalis eſt *Carteſiana*, qvæ dubitat de indubitabilibus, aſſenſumqve cohibet circa principia innata, qvæ tamen velut communiſſima & certiſſima, certitudine ac perſpicuitate ſuâ cæterorum omnium principia eſſe debent.

§. 3. Haud negligenter tenendum eſt, Carteſi dubitationem, qvam extendit etiam ad Deum & principia naturâ nota, non eſſe accipiendam de intellectûs practici dubitatione, ſed *de ſimplici, nuda & theoricâ aſſenſus ad tempus prohibitione*, qvam voce ſuppoſitionis à Mathem. hauſta circumſcribit; Sic ait ſe ſupponere non Optimum Deum, h. e. ſolùm ſuppoſitivè de DEI exiſtentiâ dubitare, & ratione actus mentis theorici ſolùm eſſentiam DEI ab exiſtentiâ ejus præſcindere. An id tamen citra falſi ac atheiſmi crimen fieri poſſit, jam jam diſpiciemus.

§. 4. His præſuppoſitis, qvæ ad tradendam mentis Carteſ. dilucididitatem facere videntur, propius Cartes aggre-

gredimur, ejusq; principium, ratione diſtinctorum membrorum diſtinctim, qvantum charta feret, expendere & convellere apud animum ſtatuimus. I. Qvod attinet ἀπορίαν ſeu dubitationem, eam ex cenſu principii ſic eliminamus, qvia non omnia Entia ſuppoſitive ſunt dubitabilia, ut ſunt immediatæ theoricæ veritates, qvarum prædicata absqve ullò mediò denominant ſubjectum, qvarumqve cauſa, cur ſint ſcilicet, asſignari nulla poteſt, ut Deum eſſe totum eſſe majus ſuâ parte, &c. qvæ immediatè apprehenduntur, & ἀναποδείκτως dijudicantur citra omnis demonſtrationis medium, ſive ſit apodicticum ſeu neceſſarium, ſive topicum I. probabile, uti qvidem eſt in opinione. Neqve hic ſuccenturiatur teſtimonium, ut medium demonſtrandi; qvod uti ex ſe in artificiale & aſſumtæ ſolùm fidei eſt, ita nec humanum, nec divinum, ratio evidens demonſtrandi eſſe poteſt; Adeò ſcilicet immediatè & ſine interceſſu medii demonſtrantis habitus intelligentiæ hæc ingenita attingit principia, nudaqve notitia terminorum & ab illis in intellectum redundantibus ſpeciebus intelligibilibus contentus, citra omnem artem & induſtriam, citraqve omnem diſcurſum ad dictis principiis aſſentiendum determinatur. Idem de principiis militat practicis, qvæ non didicimus accepimus legimus, verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hauſimus expresſimus, ad qvæ non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, qvorum lex in pectore noſtrô non ſcripta, ſed nata eſt, uti non minus eleganter, qvàm pro more ſuo graviter hoc Tullius pro Milone exeqvitur. Qvæ æternæ legis ἀποσκιασμάτια menti noſtræ impreſſa Demoſthenes vocat εὑρήματα καὶ δῶρα θεοῦ. Sophocl. vocat illa ἄγραπτα καὶ ἀσφαλῆ θεοῦ νόμιμα Ariſtot. δίκαια ἔμψυχα, qvippe à qvibus omnis lex ſcripta vim & virtutem ſuam mutuari cogitur. Vix ceras ſuffecturas

putem, ſi omnia teſtimonia Ethnicorum enotanda ſumantur, eo magis, qvòd nihil per æqvè eadem copiâ perſcriptum videatur, qvam qvidem lex naturæ & ſynteresis ſeu habitus principiorum practicorum. Nolo huc accerſere (accerſerem enim ἐκ περιουσίας) teſtimonia hagiographa omni exceptione majora Apoſt. Pauli Rom. I. & II. Illos ἀναπολογήτους & inexcuſabiles vocantis, qvi cum lumine naturæ Deum certo cognoſcere potuerint, cognitionem illam tamen aut actuali malitiâ ſuppreſſerint, aut Deum cognitum rectè non coluerint, ex qvorum ordine claſſes Ethnicorum fuêre. His præmisſis tale argumentationis auſpicium facimus.

§. 5. Qvod principium innatas, indubitatas & primas veritates reddit dubitabiles, eſt falſisſimum & pesſimum, addo impium & atheum. Atqvi Cartes principium dubito, cogito: Ergò ſum: innatas indubitatas & primas veritates reddit dubitabiles. Ergò. Major ex ſe clara eſt, nec probationis indiga, probanda tamen ex parte pro re natâ in ſeqq. Minor etiam in apricò eſt, qvia Cartes de Dei exiſtentiâ, (ſaltem theoricè & ſuppoſitivè) dubitat, cum tamen inſitam κοινὴν θεοῦ ἔννοιαν habeamus, ut ne theoricè qvidem hic dubitare debeamus: Inſuper ſuum principium ad omnia entia diffundere laborat, adeoqve ſtatim circa id, in cujus exiſtentiam adſtruendam inqvirit, dubitationem involvere cogitur: cùm verò ſint primæ & indemonſtrabiles veritates numerô haud exiguæ, qvæ omnem dubitationem, etiam theoricam, reſpuant, operam & oleum ſuo principio perdit Cartes: Qvod enim eſt naturâ notum, non poteſt fieri notius. Atqve prima & ingenita principia ſunt, naturâ nota, ut recta ratio & apoſtolica oracula invictè ſatis demonſtrant. Ergò non poſſunt fieri notiora. Sed porrò eo, & arguo: qvod non poteſt fieri

notius,

notius, qvodqve ſe ipſo ſemper certum indubitabile & indemonſtrabile, id omnem excludit dubitationem. Nam diſcurſus eſt proceſſus à notô ad ignotum eruendum. Qvod ſi ergò nihil ignotum, ſed aliqva (puta principia) ſint ſe ipſis nota, qvi dubitatione opus eſſe poteſt? qvâ de cauſa ad diſcurſum venire neceſſum eſt? Min. rurſus conſtat ex ἐμφύτων notitiarum principiorumqve ingenitorum veritate & realitate, inter qvæ ante cætera eminent principia de Deô nobis inſita, ex qvibus qvippe cætera omnia emanant & deducuntur, ni qvis præfractè illa negaturus & rectæ rationi nuntium mittere, & Apoſtolo in os contradicere malit: Id qvod tamen de Carteſiô ſuſpicari fortè religio alicui videri poſſit.

§. 6. Nec elabetur Cartes ſuâ ſuppoſitione, qvando σκληρὰ μαλθακὰ proferre & ſub terminorum latibulis ſuâ ſuppoſitione imponere laborat. Arg. Qvæ ſunt principia, fundamenta & cauſæ ſaltim virtuales, omnis cognitionis, de iis non licet aliter ſupponere, ac qvidem ipſa ſunt. Conceptus enim objectivus menſurat conceptum formalem, & modi prædicandi veritas à modô eſſendi æſtimatur. Sed verò principia ingenita ceu primæ veritates ſunt principia, fundamenta & cauſæ omnis cognitionis. Ergò de iis non licet aliter ſupponere, ac qvidem ipſa ſunt. Si hoc; non licet de iis dubitare ullô modo, cùm abſolutâ ſuâ certitudine & inde monſtrabilitate, extra omnem dubitationis aleam poſita ſint. Et porrò illa ſuppoſitio Carteſiana aut fundatur in re, & ſic eſt qvid rationis ratiocinatæ, ſeu rationis concipientis aut eminentis, uti vocat Pl. Rev. & Exc. Dn. D. *Seld.* Patron. æternô animi obſeqviô venerand. Diſp. IV. Met. §.; aut non fundatur in re, eſtqve aliqvid rationis ratiocinantis ſeu merè fingentis. Si illud conceſſerit Cartes, in dubium non tantum vocat ingenitas no-

titias, ſed & viam ad illas negandas penitus ſternit, atqve ſic directè removet fundamenta exiſtentiæ DEI naturali lumine demonſtrandæ, neqve eá ratione ſolùm ſupponit, ſed reapſe contrarium notitiarum naturalium ponit, h. e. illas à parte rei nullas eſſe ſuo principio innuit. Si enim in re fundatur hæc dubitatio de DEI exiſtentia, deqve primis veritatibus, notitiæ naturales ceu ingeniti habitus, in re veri, aut ſaltem certi non erunt: in re enim ſeu à parte rei ſi veri eſſent (uti ſunt qvidem) Cartes dubitandi fundamentum de illis ex re ipsâ petere non poſſet: aliàs attribueret illa falsò, ineptè & pesſimè notitiis naturalibus, qvæ in re de illis non verificantur. Non autem poteſt dubitare de primis his veritatibus Cartes, qvia nullum habet à parte rei dubitandi fundamentum, nedum ea protervè & projectâ fronte negare poteſt, cum hæc principia inſita ſint neceſſaria conſeqventia & proprietates humanæ intelligendi facultatis, ut alibi demonſtratur; ſin poſterius igitur admiſerit Cartes, ut vi hypotheſeos admittere debet, invicte ſeqvitur, fictum Cartes eſſe principium; expirabunt validæ & meditatæ rationes, qvas tamen ſubinde Cartes ad ravim utqve jactat; imponet Cartes, non ſupponet, cum demonſtrationis Metaphyſicæ nitantur rationibus inferendi realibus, aut in re qvàm proximè fundatis. Vana ergò & frivola, ne dicam impia, eſt ſuppoſitio Cartes, qvæ ſi non practicum, ſaltim theoricum Atheum, introducere videtur, cùm penitus imposſibile & plusqvàm contradictorium ſit, exiſtentiam DEI, utpote Entis immutabilisſimi & indefectibilisſimi in eſſendo & permanendo, ab eſſentiâ ejus præſcindere; Deus enim non poteſt non eſſe; DEI eſſentia eſt ſua ipſius exiſtentia, & exiſtentia eſt ſua eſſentia actualis. Eſſentia autem qvomodo poteſt (præprimis divina) à ſuo eſſe, ut ita dicam, cum exiſtentia

tia

tia identisſimo & unisſimo præſcindi ? cum & dubium ſit penes plurimos non contemnendum, an id qvidem in creatis fieri posſit eſſentiis ? entis ne poſitivi, veri & realis formalitas ab ente abſtrahi poteſt ? minimè ? Rem enim à ratione ſuâ formali, per qvam eſt idqvod eſt, poſſe abſtrahere, implicat. Jam verò ens non eſt poſitivum, non eſt ens in ſe reale, niſi per ſe & in ſe intrinſecè & formaliter exiſtat. Per qvod autem eſt ens verum in ſe & formaliter, ab eô neqvaqvam poteſt præſcindi. Et concedamus Ens, qvatenus eſt in ſuis cauſis, eſſe verum Ens, non tamen exinde ſeqvetur, exiſtentiam ab eſſentiâ actuali, cum maximè in DEO, poſſe præcindi. Cùm Eſſentia cum exiſtentia conjuncta, ſit una eademqve unius Entis formalitas & actualitas : Actualitatem autem ab Ente actuali præſcindere, eſt oppoſitum in appoſito. Et qvidem id vel maximè in divinâ eſſentiâ obtinet, qvæ non poteſt concipi ſub eſſe indeterminatô eſſendi, tanqvam aliqvando potuerit non exiſtere, ſed qvæ ex naturâ ſuâ ad ſemper actu exiſtendum determinata eſt. Unde relinqvitur, conceptum illum, qvi DEI eſſentiam ab exiſtentiâ ejus præſcindit, eſſe purum putum τῦ νῦ πλάσμα, habereqve purum putum eſſe objectivum in mente citra omnem realitatis occaſionem ſeſe ad merum commentum & ens rationis determinante. Qvando enim qværo de eſſe alicujus rei ; aut qværo de eſſe vero & reali poſitivo, qvod non niſi actuale eſt ; aut de eſſe æqvivocô, ſeu de eſſe cognito. Si de poſteriori qværimus, qværſtio eſt de eô, qvod nondum eſt Ens, ſed demum fieri poteſt ens. Qværimus ergò de priori. Sed verò in hôc eſſe, ſemper à priori & conſtitutivè includitur actualitas ; Secus enim non habebit veram, poſitivam ac intrinſecam entitatem. Ex qvô patet σιδηρόξυλον eſſe, cum de præciſione eſſentiæ ab exiſtentia qvæ-

ſtio inſtituitur. Sed de eô alibi agam ex profeſsò qvod hîc obiter afferre cogor.

§. 7. Sed porrò ἀπορία Carteſiana eſt deſtruenda. Denuò arg. Veritas qvæ à me inveſtigatur, aut per ſe ipſam ultrô pateſcit, aut per aliud patefacienda eſt, v. gr. ex Hypotheſi CartesI per dubitationem. Si per ſeipſam pateſcit, erit veritas primorum ſciendi principiorum, qvæ ut ſeipſis certa ſunt, ita de iis, utpote ex qvibus omnia, qvæ certò infallibiliter à nobis cognoſcuntur, deducenda ſunt; fluctuare nefas eſt. Si per aliud, nempe per dubitationem, qværo de hac dubitatione, utrum permanens ſit, an tranſiens & deſinens? ſi permanens eſt, erit Cartes purus putus Scepticus, in Pyrrhoniorum caſtra diſceſſurus, & dum ſcire ſe putat, reverâ nil ſciturus, qvod tamen evertit mentem Carteſii, tollit meditationum ejus ſubtilitatem, deſtruit principii immobilitatẽ, & deniq; praxi obloqvitur Carteſianæ, qvem ad certos annos usqve de exiſtentiâ Dei dubitâſſe, indeq; in auſpicatum hujus ſui principii auſpiciũ feciſſe & fama fert, & non obſcurè ex ſcriptis ejus conſtat. Sin tranſiens & deſinens, qværo porrò, per qvod principium dubitationis ſcrupulus ex mente Cartes evellatur, an per ſe ipſam cadet dubitatio, idem in ſe ipſum non agit: dubitatio dubitatione confirmatur, non infirmatur. Dubitatio enim eſt cohibitio intellectus ad aſſentiendum, propter ἰσότητα τῶν ἐναντίων λογισμῶν. Qvod ſi ergò plures cohibitionum modi gradusqve ad ſuſpenſionem aſſenſus accedant, augetur & confirmatur qvoqve dubitandi habitus. Ergò ſeqvetur tandem, dubitationem aliqvô priori principio, certaqve ratione ex principiis ſciendi primis ſeqve ipſis evidenter notis ducta, demum profligandam eſſe. Qvod ſi dederit Cartes, ut dare debet ὑπ' ἀληθεί

θείας ἀναγκασθείς, principii ſui infirmitatem, particularitatem, οὐδὲν ὄντα & nullitatem oppidò agnoſcat oportet. Et cur non agnoſcat? cùm ſic dubitatio ſuperiori ſcientiæ medio antecedatur & vincatur, qvod nempe ex primis notitiarum inſitarum fontibus hauſtum eſt. Aliàs enim nunqvàm non dubitandum foret, niſi ad prima eaqve communisſima inſitarum ἐννοιῶν principia aſcendamus, ex qvibus omnia principia ſecunda ſive proximè ex primis fluentia, ſive nimis remotè, ut de illis εἰς ἑκάτερον diſputari posſit, deducenda & dirimenda veniunt. Accedit, qvod Cartes me de ſui principii veritate dubitantem aut hanc negantem, aliter convincere non posſit, qvàm per hoc principium qvod in ratione principii formalis complexi & primum omnium, & fortisſimæ repugnantiæ expresſivum eſt; imposſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Qvod ſi enim negem hujus illationis Carteſianæ veritatem: dubito, cogito, ergò ſum, vi cujus principii me refutabit? non vi principii ſui, qvod nego, aut de qvò ſaltem dubito: Ergò vi Principii ſuperioris, fortioris ac certioris, qvod continet indubitabilem prorſus & à priori indemonſtrabilem evidentiæ certitudinisqve rationem: cùm eſſe & non eſſe, vi dicti principii, in unâ re ſecundum eundem reſpectum ſint incompatibilia.

§. 8. Hinc relinqvitur rurſus agumentum: nullum verè primo-cognitum eſt dubitabile re ipsâ & ex urgente causâ. Sed Cartes primo-cognitum eſt tale. Ergò Cartes primo-cognitum non eſt verè primo-cognitum. Major certa eſt, qvia qvod dubitabile eſt, vi principii ſuperioris extra dubitationem ſiſti debet & unà qvoqve demonſtrationem, vi cujus dubitatio pereat, exigit. Minor probatur, qvia Cartes principium demum per principium; impos-

ſibile

ſibile eſt idem &c. verificatur, demonſtratur & extra dubitationem ponitur. Id qvod enim veritatis ſuæ demonſtrationem habet, per veritatem alicujus principii ſe prioris, non eſt verè primum, ut ex terminis patet. Aut enim dubito, aut non dubito. Unde patet, me dubitare, aut non dubitare? non ſanè aliundè qvàm virtute modo nominati principii. Unde cadit principium Cartes.

§. 9. Exin porrò concludimus; qvícqvid eſt ratio inqvirendi in veritatem particularis & impia, & principia ſe priora ſupponit, imò qvod dum dubitationem involvit, aliud ſe-extra dubitationem ſiſtens principium ſolicitat, id iniqvè poſtulatur eſſe verè primo-cognitam. Sed prius de principio Carteſiano verum eſt, Ergò & poſterius. Major vix ac ne vix dubia erit. Hinc Min. demonſtrandam ſumo. Demonſtro ex ſuppoſitâ notitiarum connatarum veritate à nemine in dubium vocanda, ut διὰ βραχέων oſtenſum antè. Et rurſus breviter hic oſtendam. Nam dubitatio eſt habitus contingenter verus, inclinans ſubjectum intelligens ad aſſenſum indeterminatum alicujus propoſitionis, ut ſcil. qvaſi propter æqvilibrium contrariarum rationum intellectus æqvè citò unum, ac alterum arripere posſit, intellectus, inqvam, in actuali dubitationis momentô hærens. In qvô momentô ergò de Cartes de veritate divinæ exiſtentiæ dubitat, æqvè cito DEI exiſtentiam dubitabilem reddit, ac certam eſſe ſupponere poteſt: Conſtitutus g. in progreſſu dubitandi, ſub formali ac reduplicatione dubitationis non agnoſcit DEUM, theoricè ſaltem, & qvidem reali dubitandi actu. Qvod ſi non eſt principia atheismi fovere, neſcio eqvidem qvid ſit Atheiſmus, cùm in propatulô ſic ſit egregium Atheiſmi Carteſiani, ſaltim theorici, realis autem; ſpecimen! Ut nec diffitear, principia hæc theorica dubitandi ad Atheiſmum

mum practicum etiam portam aperire. Nam cum dubitare velit de omnibus Cartes, etiam de principiis practicis inſitis dubitare conſeqvens erit ita, ut ambigat de actionibus practicis à dictis principiis regulabilibus. Actio enim practica honeſta indubitabilem præſupponit de principiis practicarum actionum cognitionem. Ignoti nulla cupido. Inde nec honeſtè pieqve agendorum praxis indubitata à Cartes expectanda, qvòd de principiis honeſtæ πραξεως dubitare peſſimè præſumat, ſicqve ex pravâ hypotheſi ſuâ multos perſvaſione inexcuſabilitatis malæ vitæ coram DEO imbuat. Porrò probo ex notitiarum innatarum principiô Carteſiano non indigentium certitudine & indemonſtrabilitate, qvippe ex qvibus ipſum confirmatur & demonſtratur principium Carteſianum. Ulterius ex dubitationis decidendæ ingeniô & habitudine. Neceſſe ſcil. eſt, ut omnis rei ita etiam dubitationis Cartes deciſionem, habere fundationem ſuam in principiô alio, per qvod tandem dubitatio removeatur atqve inclinatio in utramqve partem certò eximatur, ne planè menti in dubitatione oblitescendum ſit. Taceo ob brevitatem alia. Deniqve ex deſiderii intellectui congeniti ſatiatione, & mentis dubitantis qvietatione. Non enim ceſſabit intellectus, non qvieſcet aut feriabitur mens, qvàm certo, primo, & infallibili demonſtrationis principio ſe ſiſtat, & inqviſitionis in utramqve partem inclinantis ſolicitudinem apodictica principii cujusdam confirmatione profliget, ſeqve ita exſaturet; & ut loqvuntur, qvietet. Sed ob præſtitutos pagellis fines calamum ad alterum principii Carteſiani membrum præcipitamus.

§. 10. Cogitationem itaqve ab ordine principii ſic excludimus, argumentantes: Qvod principium aut principii membrum habet ſe rationes in modô concipiendi

priores, qvod abſurditates, ineptias, in ſufficientiã, falſitatem, & pro ratione applicationis impietatem involvit; id ſpurium & pravum eſt primo-cogitum. Sed anterius eſt de dictô princip. Carteſ. verum. Ergò & poſteriùs. Majorem non ſperamus eſſe dubiam. Minorem diſtinctè breviterqve confirmare placitum eſt. α. Qvod autem hoc principium alias rationes ſe in modô concipiendi & eſſendi priores habeat, hinc oſtendo: qvod operatio ut ſic, qvatenus eſt à dubitatione & cogitatione præciſa, ſit ratio multò generalior duobus prædictis actibus. In principiis autem primis generaliſſimæ concipiendi rationes, ut primo cognoſcibiliores menti offerri debent, qvod cùm neglexerit Carteſ, ſubtilitatis jacturam feciſſe, qvis non putet? porrò non prætereundum (β) abſurdum, hoc eſſe principium, qvia non ex primis rerum connexionibus hauſtum, ſed à rationibus operationum exercitè ſpectatarum, atqve deficibiliter & dubitabiliter ad res inqvirendas reflexarum depromptum unicè eſt, id qvod evincitur: qvia omne id à poſteriori originem atqve denominationem ſuam trahit, qvod ab actibus ſecundis potentiarum agentium ſuam demonſtrationem arceſſit: in qvo puncto & certius & multò latius eſt principium ſuprà nominatum ad impoſſibile deductivum: Qvod omnibus rebus præciſis ab operationibus demonſtrandis per ſe accommodari, & nunqvam fallere aut deficere poteſt. Deficere autem poſſe actum cogitandi, ἀπροαίρετοι actus mentis prodere videntur. Qvot enim operantur, qvi non cogitant? qvot ſuſpenſam habent cogitationem, qvi Syncope aut lipothymia correpti ſunt? cum non ſemper id, qvod actu eſt, neceſſariò actus ſit, dicentibus Scholaſticis, h. e. exercitè operans aut cogitans. Amiſsô tamen actu cogitationis, nihilominus manet exiſtentia, utut aliàs tum demum eſſe

de-

deberet, qvando Cartes ipſô actu cogitans eſt. Unde reſultat arg. nullum principium à poſteriori deſumendum eſt, nec unqvam defectibile audire debet. Sed princip. Carteſ. à poſteriori deſumtum eſt, v. g. ab actu intellectus; idemqve defectibile eſt, cùm res aliqva non rarò poſſit eſſe non-cogitans. Ergò relinqvitur, non eſſe verum, & germanum principium.

§. II. Hinc ultrò ſeqvitur, eſſe qvoqve ineptum, inſufficiens & falſum. Ineptum & inſufficiens, qvia primitatem & indemonſtrabilitatem principiorum cognoſcendi primorum ſartam tectam non conſervat: qvia prius ſe demonſtrans ſupponit: cùm enim dicit Cartes, ſe cogitare, præſupponere omninò debet, ſe eſſe aliqvid qvod eſt ego, qvodqve ſubjecti cogitantis nomine veniat: præſupponere item cogitur, ſe ideò eſſe cogitantem, qvod ſit operans: concedere deniqve tenetur, ſe eſſe qvid cogitans vi principii τῦ ἀδυνάτυ qvòd impoſſibile ſit, ſe, dum cogitat, eſſe ens non cogitans. Ut ſiccô pede prætercam alia. Præterea ineptum eſt, qvia nugatorium eſt & coccyſmum plenis velis invehit, ſiqvidem idem per idem colligit, nec demonſtrat per aliud præciſè notius. Cùm enim dico, ego ſum res cogitans: ſtatim in hoc complexô involvo exiſtentiam, ut non opus ſit mantiſſam adjicere. Ergò ſum E. exiſto. Adde qvod principium hoc non tam aſſertivum, qvàm illativum ſeu diſcurſivum ſit atqve crypticè ſeu enthymematicè argumentativum, ut deſit propoſitio major in hac enthymematicâ diſpoſitione, h. m. ſupplenda: qvicqvid eſt res dubitans & cogitans, id eſt; Ego ſum res dubitans: res cogitans: E. ſum: vident implicitum Syllogiſmum, ex principiô Cartes erutum? qvicqvid cum eô contrà ringatur purgetqve ac interpolet Spinoza; res ipſa tamen loqvitur, qva in præſenti ſtamus, ut nec diſſimulem hoc principium Cartes æqvivoco, improprio atqve

qve catachreſtico terminorum uſu & luſu plenum eſſe, cum tamen proprietas principiis qvã maximè gentilitia eſſe debeat. Voce enim cogitandi confundit Carteſius actus intellectivos cum actibus volitivis & moralibus, potentias rationales earumqve actus cum ſenſualibus. Impropriè enim dicitur cogitare, qvi vult; catachreſticè & abuſivè cogitat, qvi ſentit, qvi imaginatur; qvæ tamen à Cartes unô ſub complexu efferuntur. Falſiſſimum eſt; cùm, hoc cogito, & incertum & defectibile, & πρὸς ἕτερον indubiè declarabile non ſit. Hoc enim cogito, nec mihi, nec alteri notum eſt; non mihi, cùm deſiſtere aliqvando poſſim à cogitatione; hocqve principiô veritas per ſe vera, incerta reddatur & merè opinabilis, id qvod evidentiæ prim. princ. repugnat. Non alteri, cui nimirum mea cogitatio non innoteſcit, niſi intercedentibus ſignis, loqvela aut ſimili indicio qvi proinde hoc principio convinci non poteſt: cum tamen maximus talium prim. princ. uſus in convincendo & demonſtrando ad alterum eſſe debeat.

§. 12. Pro ratione applicationis ad DEUM ſcil. impium eſſe, ſatis ex ſuperioribus conſtare poteſt. DEUM verum eſſe evidenter, & naturà notum eſt, adeoq; dubitativè nil de DEI exiſtentia cogitandum eſt, nî reali aſſertionis actu DEUM exiſtere & non exiſtere, dicere velit Cartes; exiſtere, qvia immutabilis & indefectibilis in eſſendo eſt: non exiſtere, qvia DEUM non exiſtentem falſo atq; impio Rationis Theoricæ actu ſibi concipit & ſupponit Carteſius.

§. 13. Principium Cartes non eſt ſimpliciter & præciſè novum, ſed Novantiqvum, & malè renatum: cum complectatur ſolum veteris axiomatis: poſitâ causâ ponitur cauſatum: poſitâ operatione, ponitur operans: applicationem & declarationem; dubitatio enim & cogitatio ſub actibus cauſalitatum ſubſumuntur. Itaqve non res, ſed rei modus & uſus ſolùm novus eſt, adeoqve novitatis gratiam dictum ψευδαίτιον Cartes exuiſſe meritò debebat.

De qvibus plura in Carteſiô noſtrô dubitante! Alia, qvæ hic dici conveniebat, ſuppetunt: Sed lineæ arctiores limites figunt:

ſIt Læta totI MVnDo annI reCentIs aVra!

VA1152 1527